

16. 12.



Cl 1828

AD ORATIONES
DE
MVRO SPARTANO
IN EPISCOPALI, QVÆ CIZÆ
EST, SCHOLA
AD DIEM XII. OCTOB. HORA
IIX. AUDIENDAS
QVA PAR EST OBSERVANTIA
ET HVMANITATE
INVITAT
M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,
RECTOR.

CIZÆ,

Typis JOHANN: RUPERTI Reils/
ANNO M DC LXXVI.

E.

AD ORATIONES

DE

M. V. R. O. S. T. A. R. T. I. A. N. D. O.

IN SEMINARIO S. C. E. C. I. L. I. E.

EST. S. C. H. O. L. A.

Y. L. D. D. C. M. X. I. I. O. C. T. O. B. R. I. I.

1. 6. 1. 7. 1. 8.

Q. U. A. P. A. R. T. I. S. O. R. D. I. N. A. T. I. A.

ET HUMANITATIS

IN V. S. S.

M. CHRISTOPHORUS CELLARIUS

RECTOR

C. E. C. I. L. I. E.

Typographus

1. 6. 1. 7. 1. 8.



Docendi rationem olim diuersam a nostra consuetudine fuisse, nemo, credo, inficiabit, nisi expertus omnium literarum. Græci enim, forsan etiam Ægyptii, Arithmetica, Geometria, Gnomonica pueros tenellos perdocebant ab his deliciis initium facientes & felix doctrinarum auspiciū, ut vera omnis scientiæ humanæ fundamenta jacerent, ingenia saltem altioribus artibus præpararent. Hinc factum esse notissimum est, ut *ΜΑΘΗΜΑΤΑ* appellarentur, quas iam *Mathematicas disciplinas* dicimus, quia ex iis initium tum docendi, tum *discendi* antiquitus factum fuit. Nostra vero ætate vtilissimæ pariter ac jucundissimæ hæ disciplinæ vel prorsus negliguntur, vel nescio in quod tempus ac abundans otium reiciuntur. Quo an consultum eatur ingeniis hominum, non nostrum, sed aliorum est iudicare, qui omnia perspicacius vident, intelligunt atque examinant. Certe non nostro demum seculo in desuetudinem *Mathemata* abierunt, sed Taurus etiam philosophus, quem Gellius audivit & admiratus est, de suo id tempore, postquam Pythagoræ Geometrica, Gnomonica, Musica initia retulerat, iam tum conquestus est, *nunc, inquit, istis, qui repente pedibus illotis ad philosophos, deuertunt, non est hoc satis, quod sunt omnino ἀδιδάκτοι, ἀμαρτοί, ἀγνώμονες, sed legem etiam dant, qua philosophari discant. Alius ait: hoc me primum doce: item alius, hoc volo, inquit, discere, istud nolo.* Quod si causam quæris desuetudinis, nolo quidem vel adolescentum ignauiæ, vel peruersæ multorum opinioni, ac si inutiles essent hæ delicia,

ciæ, patrocinium afferre; negare vero non possum, difficultatem discendi peregrinas linguas, quæ pueros nostros torquet & excruciat, præripuisse primùm tempus & occasionem discendi Mathematica: postea, vt dulcis semper est ignorantia, odium quoque & contemptum superinduxisse. Græcorum illa consuetudo fuit, vt nullam linguam eruditioni & artibus necessariam putarent, nisi vernaculam, quæ quod discenda non erat, sed tantum excolenda, otium abunde superabat, quo pueros Geometriam & Arithmeticam docerent, atque ita Philosophorum præceptis felicissime præpararent. Sed diuersa rerum facies in Latia fuit, diuersissima in nostra est Germania. Latinis enim pueris Homerus aliique poëtæ crucem figebant: nostros æque Terentius, Cicero, Virgilius; atque Homerus aut Plutarchus torquent, & florentissimam illam ætatem sibi soli vendicant. Si qui omnino sunt, quos scio esse admodum paucos, qui fera ætate Mathesin arripiunt, non minus vtilitate, quam iucunda suauitate adductos video, ut temporis non nihil subducant aliis artibus, atque his elegantissimis deliciis impendant. Fructus enim, quos ex Mathematicis disciplinis capimus, amplissimi sunt, & in omne vitæ genus atque omnem divinam humanamque scientiam se diffundunt. Quis enim ignorat, Mathematica non tantum Physicis, Politicis, Oeconomis necessaria esse, sed Theologis, Jurisperitis ac Medicis apprime conducere? Quod de singulis probare & exemplis illustrare iam nimium foret, etiam temporis & instituti modum excederet. In primis tantum in militia usum exerunt, ut sine iis nec priscis seculis fuerit, nec nostra ætate esse possit egregius miles, vel turmarum & exercituum ductor, quem fugiant Mathematicum, præsertim Geometriæ, sacratiora mysteria

ria. Eo enim deducta res militaris est, ut nulla arx vel
urbs defendi queat, nisi Mathematicorum lineis, circu-
lis, triangulis munita: nulla etiam vinci & expugnari,
nisi eadem Matheseos scientia vias & obliquos du-
ctus sternat, quibus tuto ad propugnacula succedere,
diruere illa, atque sic vrbe potiri possimus. Quod ad
veterum militiam attinet, non nostris, sed Platonis verbis
ex Dialogo VII. de Republica, vtcunque illa a Marfilio
Ficino sunt latine versa, enarrabimus. *Quid, inquit,
istud? num Geometriam dicis? Hanc ipsam. Quate-
nus enim ad bellicam rem confert, eatenus certe no-
bis conuenit. Nam ad castra ponenda, regionem oc-
cupandam, colligendas turmas, vel etiam spargen-
das, & ad cetera machinamenta, quibus circa acies,
vel in obsidione, vel itinere uti solent, permul-
tum interest, Geometricusne aliquis sit, an non.*
Sed videor mihi videre, qui obiiciant nobis, si in castris
præcipue, & in bello se Mathematicum usus explicet,
non esse, quod togatis Musis eadem tanquam necessa-
ria, aut perquam utilia præcipiamus. Verum enim
vero nimis arcte constringunt utilitatem Matheseos,
qui solis bellicis rebus reseruant. Latissime illa patet,
& si non ad aliud conferret, vel solo hoc nomine com-
mendanda esset, quod eodem Platone testante,
*qui ingenio tardiores (βεβηκῆς) sunt, Arithmetica &
Geometria hoc assequantur, ut ἰξύνετοι acutiores,
quam antea, sint: qui vero natura Arithmetici sunt,
ad omnes doctrinas acuti videantur.* Nonne ergo suf-

ficiens operæ pretium est, ὀξύτερον γινώσκων, ingenio acui,
& ad maiora quævis aptiorem reddi? Et sane ita est,
vt Geometrarum & Logisticorum theoremata per-
quam acute expoliant ingenia, ut quorum adolescenti-
am hæc studia exercuerunt, hos videas acumine judi-
cii præpollere, & ad maxima quæque esse aptissimos:
contra numerorum linearumque expertes diuturniore
stupiditate premi, nec tam facile ad maturitatem iudicii
emergere. Hanc puto causam fuisse, ut Philosophiæ
præceptis theoremata Geometriæ præmiserint Græci,
quo acutiores efficerentur, quos Philosophiæ reliquæ
mysteriis vellent imbuendos. Optandum vero magis,
quam sperandum est, ut nostra iuventus his sacris post-
liminio initiaretur, atque sic maius acumen ad artes
alias discendas afferret: si qui tamen sunt, qui dulcedi-
ne earum disciplinarum ducantur, adeo non arceri de-
bent, ut inuitandi potius & instigandi sint, ne cessent
a studio, ad quod natura feruntur, præsertim si subseci-
vis id horis excolant, nec alias artes, a quibus major e-
ruditionis pars pendere putatur, posthabeant. Multum
quidem operæ, sed maiorem cupiditatem requirunt.
Mathematicæ illæ primitiæ, quæ nisi aliunde accenda-
tur & conservetur, vix erit, qui, qua par est, constantia
adhæreat illi studio, quod hodie vulgi iudicio non puta-
tur primarium. Fateor nunquam maiorem operam
Sphæricæ Trigonometriæ datam esse, quam Cometis
in cælo minantibus, qui ad sui magnitudinem, aut à no-
bis distantiam investigandam non segnes Matheseos
cultores rapiabant: nec Trigonometriæ Planorum
dediti magis fuimus, quam cum Turcici belli metu Thu-
ringiæ aliarumque regionum oppida certatim nuper
communirentur. Noluimus enim ignari earum rerum
videri

videri, de quibus e plebe artifices in circulo differere instituebant. Idem hoc tempore factum est, dum operosa obsidione Philippopoleos, Traiecti ad Mosam aliarumque urbium, Geometriæ studium in curiosorum animis resuscitatum nec segniter excultum vidimus, cui quod nostratum etiam nonnulli favebant, nolimus extinguere amorem rei honestissimæ, spe oblectati, fore, ut aliquando cum ceteris artibus Mathematicas disciplinas coniungant, saltem hoc tempore ingenium iis exacuunt. Igitur Oratorio exercitio eiusmodi materiam subjeci, quæ tempori non solum serviret, sed ad virtutem etiam & honestatem inflammaret, in primis scintillas illas Matheseos non extingueret, sed aleret, atque augeret. Nimirum de SPARTANO MURO, id est, virtute civium, proposui quæstionem, *utrum ille munimentis lapideis, aut ex terræ mole congestis, sit preferendus.* In hoc stadio non ignobilia ingenia decurrent, & quidem

HENRICUS CHRISTIANUS Müller/Numburgensis, ipsam quæstionem commilitonibus proponet, ventilandam: At

BALTHASAR RUDOLPHUS à Lichtenhain/ Eques Misnicus, pro muro Spartano dicet, & omnia alia munimenta rejiciet. Contra

HENRICUS DAVID Fischer/Vinariensis, Spartanium murum pro viribus oppugnabit: Sed

IO. ERNESTUS ZAPFIUS, itidem Vinariensis, dissidia partium componere & pacem conciliare annitetur. Tandem, qui pugnam indixerat, finiet eandem Elegiaco carmine pacem à Deo & patriæ salutem decenter petiturus. Dum vero hæc molimur, in mentem venit

venit subuereri, ne Annibalis censuram experiamur, qui cum Carthagine expulsus Ephesi audiret philosophum de imperatoris officio & omni re militari copiosius differentem, non optime Græce, sed tamen libere dixisse fertur, multos se deliros senes sæpe vidisse, sed qui magis quam Phormio (id nominis erat philosopho) deliraret, vidisse neminem. Non dubito enim fore, qui sinistre interpretentur, quod in militari campo nostras Musas exerceamus. Verum sciant hi censores, nos **MVRVM SPARTANVM** commendasse, id est, virtutem & honestatem insuperabilem, quam adeo non celari iuuenibus decet, ut ad imitandum exemplis potius & præceptis sint exstimulandi. Quod si, quicquid militiam quocunque modo sapit, a nostro officio abesse debet, etiam Curtius, Livius, Nepos, Cæsar aliique Historici optimi eripiendi scholis essent, quod utramque in iis paginam bella, prælia, obsidiones, expugnationes conficiunt. Quis vero tam impudens erit, ut his Auctoribus carere posse scholas existimet? Proinde benigniores nobis censores speramus, quotquot impensius fauere rei scholasticæ nostræ adhuc experti sumus, quos etiam maiorem in modum rogamus, ut favere pergant, & præsentiam suam craftino die Musis nostris haud denegent. In primis autem Illustrem & Magnificos **INSPECTORES** humili affectu sollicitamus, ne sua nos indignos benevolentia habeant, sed si per publicam rem & maxima negotia licitum erit, Musas nostras præsentia suæ splendore denuo collustrent. P. P. Cizæ
XI, Octobr. M DC LXXVI.


Nr 3165

88°

Wort

120





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



Cl 1828

TIONES
E
PARTANO
QVÆ CIZÆ
CHOLA
OCTOB. HORA
DIENDAS
OBSERVANTIA
ANITATE
TAT
VS CELLARIVS,
TOR.
Æ,
RUPERTI Reils/
OC LXXVI.

Cl.

